

ereptus et ad aeternitatem evocatus est; ille, qui sapientia et amore, omnes scepro suo parentes Populos suorum instar liberorum rexit, qui Regna haec velut Coronae Suae gemmas reputavit, mihiq[ue] iteratis vicibus solatiosam assecurationem, verbum Suum Regium in eo reddidit, se Regnis his omni tempore Supremum suum patrociniū largiturum, neque vero eadem in justis Juribus suis unquam et minimum detrimentum pati admissurum esse.

Jam vero sicuti nos Inclyti DD. SS. et OO.! Totum nostrum amorem subditaem, nostram homagiale[m] devotionem et adhaesionem ab immortalis memoriae Genitore ad Augustum Coronarum suarum haeredem transtulimus, ita felicem omnino me reputo, quod in primo hocce Congressu, quem a tempore aditi per Suam Sacratissimam Majestatem Dominum Dominum Ferdinandum hujus nominis V. Regem Hungariae Augusti Regiminis celebramus, Inclytos DD. SS. et OO. certos reddere valeam, Eundem Augustissimum Dominum haud minus esse Regnis his clementer propensum, iis pariter altissimam suam protectionem largiri velle, denique ipsissimis Regiminis Principiis animatum, quibus hactenus felicitas Populorum Monarchiam Austriacam constituentium, in quibus temporum vicissitudinibus atque procells inconcussa permansit, municipale[m] quoque horum Regnorum consistentiam, prout id occasione faustissimae Inaugurationis suae sacro sancte spopondit, sartam tectamque servare ac manutenere haud intermissurum, si tantum nos ipsi praetiosa haec Jura, Privilegia et Immunitates nostras, penes quae majores nostri inde ab antiquissimis temporibus, nosque ipsi semper contenti et felices perstitimus, quopiam facto nostro Crisi non exposuerimus.

Ast Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus et cuivis probo Regnorum horum Filio congenitus Patriae amor non sinit de nobis ejusmodi incuriam, aut contrectationem Sanctissimorum in Regnis his Institutorum praemetui, eoque minus, dum ipsa etiam Resultata novissime conclusorum Comitiorum Regni evidentissimum praebent testimonium, quam firma cum fiducia, tranquilloque animo nos nosmet potentissimo Suae Majestatis Sacratissimae praesidio totos committere valeamus.

Mox Legum Articuli, qui in fine proxime praeteritorum Comitiorum Regiam Sanctionem receperunt, quorumve fidelis observantia nobis sacrae obligationis ergo futura est, publicabuntur et Inclyti DD. SS. et OO. capacitari dignabuntur, quod Municipalitas Regnorum horum politicam nostram consistentiam efficiens, non obstantibus gravibus impetitionibus, in sua integritate conservata, imo magis ac unquam firmata sit, dum e dissidentium opinionum certamine illaesa excessit.

Tenemur vero eapropter propriis ima tenerimaeque gratitudine Suae Majestati Sacratissimae, cujus potentissimae protectioni fortunam hanc plurimum in acceptis referre debemus, altefata enim Regia Majestas occasione hac, dum causa Regnorum suorum tantopere impetebatur, luce meridiana clarius testari dignata est, quam seria Ejusdem altissima voluntas sit: Symbolum „recta tueri“ etiam practice in vigorem ponendi. Superi servant Suam Majestatem Sacratissimam pro bono fidelium suorum Subditorum, seros in annos!

Non minus et benevolentia Excelsae Procerum Tabulae decursu Comitiorum, Regnis his contestata, omnem gratitudinem nostram optimo Jure sibi vindicat. Non possum non cum solatio reminisci, quod in ordine non solum sacrorum antistitum, sed etiam summorum saecularium Regni Dignitariorum, lega-